Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Theoctista V. 10. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

mum veteris impietatis bellum. Iterum Chriſtus vincula fert, & captivus triumphatur, agitur, raptatur. Iterum ſputa volant, alapæ inſonant, flagra crepant, ſpinæ ſe armant, clavi malleiq; intonant. Iterum fel, & felle ſuo acerbior lingua ſævit. Denique (ô cæli patientiam!) iterum pectus ferro impio petitur; atque, ut ne aberraſſe exiſtimes, iterum fons geminus ſanguinis & undæ fluit. Hic omnium morborum medicus febres pellere, lepram abſtergere, claudos in pedes erigere, ipſis denique ſceleris auctoribus oculos ita aperire, ut iam cæci nuper fidei tunc lumen aſpicerent, miraculo hoc gratiore, quòd urbs tot jam Longinos, quot paulò antè Iudæos numeraret. *Ex actis Nicenæ Syn. II.*

Cum ponis oculos tuos, ut non reſpicias cælum: & voluptuoſis carnis tuæ motibus moveris, durioribus clavis pedes Omnipotentis tranſverberans illi infers ſupplicium, dum momentaneâ voluptate voluntatem dominantis excludis. S. Pet. Dam. ſerm. 38.

S. THEOCTISTA V. 10. *Novembris.*

REctiùs hoc die Lesbos THEOCTISTAM, quàm olim Sappho ſuam laudat. Apage decimam Muſam, quæ virgo non eſt. At quam ſcribimus, THEOCTISTA, inter virgines ſacras à primis annis educata virginitatem etiam ipſa ſpirat, gratiſſimum odorem illi, cui oderatum mundus non abſtulit. Et potuere THEOCTISTÆ libertatem eripere Arabes prædones, ſed non pudorẽ proinde, ut qui numquam expugnatur, niſi ubi à proditore animo habitatur. Itaque cùm vivere inter latrones animorum ſe videret, in ſilvas aufugit horridas & metuendas, ſed fidas ſemper virgini

latebras

latebras. Hic ad templi rudera caſtiſſima Sacerdos preces cælo facere, corpuſculum herbis, animum cæli deliciis paſcere. Tandem cùm annos vixiſſet v. ſupra xxx. & veſte jam defluente foliis pudorem tegeret, venatori viſa eſt, pro monſtro utique habenda, ſi vox & virtus non prodidiſſent. Texit tunc ſuis veſtibus hic, & anno vertente cibo divino recreavit. Sed cùm à venatione denuò ad illam viſeret, exanimem reperit, & de tam nobilibus exuviis manum ſibi dexteram abſtulit. Verùm cùm non niſi reſtitutâ hâc ſolvere è portu potuiſſet, narraſſetque miraculum ſociis, accurrerunt hi venerabundi, ſed nihil quidquam præter virtutis veſtigia invenerunt. Dubitarem à quibus ablatum corpus foret caſtiſſimum, niſi tumulari virginitatem ab Angelis Catharina doceret. *Ex Metaph.*

Per humilitatis cuſtodiam ſervanda eſt munditia caſtitatis: ſi enim ſpiritus piè ſub Deo premitur, caro illicitè ſuper ſpiritum non levatur: nam ſi auctorem ſuum ſuperbiendo contemnit, jure à ſubjecta carne prælium ſuſcipit. S. Greg. l. 26. Mor. c. 13.

S. MARTINVS EP. 11. *Novembris.*

EXiſtimaverat MARTINVS Neophytus etiamnum, mediâ chlamyde ſuâ medium pauperem utcumque ſe texiſſe; ſed inſequenti nocte totum eâ ſe veſtiſſe Chriſtum vidit. Pont. Turonenſis Divorum aſpectu atq; adeò familiaritate, cæli præſertim Reginæ, inter Theclæ & Agnetis comitatum, jucundiſſimè perfruebatur. Bonorum Angelorum manu palàm adjutus, malorum fana & ſimulacra ſubruit. Quanti Sacerdotii majeſtatem faceret, tunc oſtendit, cùm eam Imperatoriæ